



## **Clerus Sæcularis Et Regularis**

Seu Decretalium Gregorij IX. Pont. Max. Liber III ; Brevi Methodo ad discentium utilitatem expositus, In quo præcipuæ circa Materiam hujus Libri tertij, quæ tum in Theoria, tum in Praxi occurrunt, difficultates solvuntur, allatis etiam contrà sentientium fundamentis, & hororum solutionibus

**Schmalzgrueber, Franz**

**Ingolstadii, 1726**

**VD18 13510800-001**

§. I. De Loco Sepulturæ Sacræ.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-75041](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-75041)

## TITULUS XXVIII.

## De Sepulturis.

SUCCESSIONI tum testamentariae, tum Legitimae, de qua in duobus præc. Tit. annectitur præfens Titulus de Sepulturis; quia sæpe

defunctus in ultima voluntate sua de loco, & modo sepulturæ suæ disponit.

## §. I.

## De Loco Sepultura Sacra.

## SUMMARIUM.

1. In quo loco sepeliendi Fideles sint?

2. 3. Ubi Cœmeteria possint construi?

4. 5. An quisvis fideles sepeliri possint in Ecclesia?

6. Quenam Ecclesia jus sepultura habeat?

7. Quis dare possit hoc jus?

8. An eidem Regulares renuntiare?

9. In quo ex omnibus sepeliri defunctus debeat?

Quæritur 1. in quo loco sepeliendi fideles sint? R. olim sepeliri corpora humana poterant in quovis loco honesto, qui propterea Religiosus fiebat, & conf. extra commercium humanum positus, modo illud domino loci sciente, & non contradicente factum sit §. nullius 7. & §. religiosum 9. Inst. de ver. divis. l. invito 2. C. de religios. & sumpt. funer. Quod hodie per Jus Canonicum sublatum est, secundum quod, ut locus aliquis ob sepulturam corporis humani ibidem factam jure, & privilegijs loci Sacri, ac Religiosi gaudeat, non sufficit, quod privatâ, sed requiritur, ut publica Episcopi autoritate ad fidelium sepulturam sit deputatus, ut colligitur ex c. ad hæc 4. de Religios. domib. Talia defacta sunt Ecclesiæ, & Cœmeteria, ita dicta, quod ibi fidelium corpora quasi dormiant, donec ex hoc suo quasi somno tubæ supremæ sono ad ultimum Judicium excitentur, & resurgant,

Quæritur 2. ubi Cœmeteria possint construi? R. construi possunt in, vel extra civitatem, plerumque prope Ecclesiam consecratam: idque ob triplicem rationem. 1. quia fideles piè credebant, se inferni tenebras faciliùs evasuros meritis, & patrocinij Sanctorum, quorum ossibus sua sociarent. S. Ambros. homil. 6. de sanctis. 2. ut participes fierent Sacrificiorum, quæ in Ecclesijs offeruntur, & vivorum eas ingredientium charitas excitaretur ad preces fundendas pro animabus defunctorum, ibi requiescentium can. cum gravia 17. caus. 13. q. 2. 3. ut Fideles Ecclesias per Cœmeteria adeuntes, commo-nescerent mortalitatis, & futuri exitus sui è vita, quâ nulla est salubrior cogitatio. Eccl. 7. v. 40. ob hanc enim maximè causam in aditu urbium (& templorum) collocata fuisse notat S. Chryostom. homil. de fid. & leg. natur.

Addidi, plerumque prope Ecclesiam; nam ex causa rationabili construi aliquando possunt etiam in loco remoto ab Ecclesia, præ-

sertim si destinata sint pro pestiferis, & in contagioso morbo decedentibus, ut bene notat Sylv. V. Sepultura c. 1.

Quæritur 3. an quisvis fideles, etiam Laici, sepeliri in Ecclesia possint? R. olim in Ecclesijs sepeliri poterant tantum Episcopi, Abbates, digni Presbyteri, & ex Laicis, qui pro Sanctis sunt habiti, & miraculis coruscabant, vel in Dignitate constituti erant, ut habetur can. præcipiendum 15. in fin. & can. nullus 18. caus. 13. q. 2. & explicat ibid. Gloss. V. fideles, & Turrecrem. in fin.

Hodie tamen sepeliri in Ecclesia possunt quicumque fideles Christiani, etiam Laici, ut constat ex can. gravia 17. caus. & q. cit. & notat ibid. Gloss. V. sepeliantur. Barbol. de Offic. & potest. Paroch. c. 26. n. 8. Pirh. hic n. 1. modo ipse defunctus ibi sepeliendus Ecclesiasticâ Sepulturâ non sit privandus, & Ecclesia jus sepulturæ habeat; non enim jus istud cuilibet Ecclesiæ competit, sed tantum Parochialibus, & ijs, qui Jus illud vel privilegio, vel consuetudine legitime præscripta obtinuerunt.

Ex privilegio Jus sepeliendi Fideles in Templis, & Cœmeterijs suis habent Ordo Prædicatorum, & Minorum S. Francisci. Clem. dudum 2. §. hujusmodi, & Extrav. super Cathedraliam. 2. §. hujusmodi quoque int. comm. h. tit. quod privilegium alijs etiam Religiosis communicari tradit Molin. tr. 2. de I. & I. D. 214. n. 21. Donat. tom. 3. prax. regul. tr. 9. q. 8. n. 2. Pirh. hic n. 30. Wiest. ibid. n. 18. Neque opus est, ut corpus defuncti, qui apud ipsos sepulturam elegerit, priùs deferatur ad Ecclesiam Parochialem; quia jus habent liberè, i. e. sine ulla contradictione sepeliendi, ut dicitur Clem. cit. Et hinc si Presbyteri Parochiales admoniti corpus defuncti deferre nolint ad Ecclesiam Regularem, possunt Regulares ipsimet, etiam contradicente Parocho, vel Episcopo, illud levare, & deferre ad suam Ecclesiam, ut rectè alijs cit. advertit Pirh. n. 31. hic.

7 Quæritur 4. quis dare jus, seu privilegium sepeliendi possit? *ry.* univèrsim in tota Ecclesia dare potest Papa, & quidem solus, cùm nullius alterius potestas sese ad Ecclesiam univèrsam extendat. Præter Pontificem illud dare potest Legatus à Latere intra suam Provinciam, Episcopus intra suam Dioecesim, Prælati alij, Jurisdictione quasi Episcopali præditi, intra suum territorium.

Ut tamen Episcopus, vel alius Prælatus inferior licitè illud det, opus est justâ causâ, & consensu Capituli, ut notant *Abb. in c. 9. h. tit. n. 9. Molin. D. 214. cit. n. 21. Pirh. hic n. 32.* Ratio est, quia ejusmodi privilegium, vel concessio reputatur inter causas arduas, & præjudiciosas. atqui Episcopus sine consensu Capituli res arduas expedire, & in præjudicium unius Ecclesiæ jus illi competens dare alteri nequit, ergo &c.

8 Quæritur 5. an possint Regulares dicto Juri sepeliendi renuntiare? *ry.* distinguendo: Vel enim agitur de Jure sepulturæ in Ecclesia Regulari jam erecta, vel de Jure ejusdem in Ecclesia primùm erigenda.

*Si primùm,* ad hujusmodi Juris renuntiationem opus est solemnitate ad alienationem rerum Ecclesiasticarum requisita, *Extrav.*

*ambitiose de reb. Eccl. non alien. int. comm.* Neque obstat, quòd *Extrav. cit.* mentio solum fiat de rebus Ecclesiasticis; nam, ut *l. rei 23. ff. de V. s. ait Ulpianus, Rei appellatione & cause, & jura continentur.*

*Si secundum,* renuntiationi est locus; conf. casu, quo in limine foundationis cum Parocho concordia facta est de non recipiendis ad sepulturam illius Ecclesiæ Parochianis, pactum illud servandum est; quia renuntiatione ista non est Juris jam quæsti, sed primùm acquirendi, sicque locum non habet dispositio *Extrav. ambitiose cit.* cùm dici non possit, quòd alienetur jus Ecclesiæ. *Matthæuc. in Offic. Curie Eccl. c. 48. n. 2.*

Quæritur 6. in quonam ex his locis, 9 quibus jus sepeliendi competit, quisque sepeliri debeat? *ry.* si defunctus Ecclesiam, vel Cœmeterium certum destinavit sepulturæ suæ, debet in eo sepeliri: si nullam elegit certam sepulturam, inferri debet Sepulturæ Majorum suorum: si Majorum etiam sepulturâ careat, sepeliendus est in Parochia sua, in qua habuit domicilium, & Sacramenta, cæteraque Divina percepit. Verum de his distinctis §§, agendum est latius. Sit ergo

## §. II.

## De Electione Sepulturæ Sacræ.

## SUMMARIUM.

10. 11. Quinam eligere sibi sepulturam possint?
12. An pater filio impuberi?
13. An filius constitutus in potestate patria?
14. Quinam Regulares sibi eligere Sepulturam possint?
15. In quo loco sint sepeliendi Novitij?
16. An Sepultura eligi possit in loco minis religioso?
17. Vel in Ecclesijs Monialium? Argumenta sententia affirmantis.
18. Deciditur pro negativa.

19. Hinc, qui ibi elegit Sepulturam, banc accipere in Parochiali debet.
20. Solvuntur Objectiones.
21. 22. An electio Sepulturæ referri possit in arbitrium alienum?
23. Pœna inducentium ad electionem Sepulturæ in certo loco.
24. Requisita ad pœnam banc incurrendam.
25. Quomodo probari debeat electio certæ sepulturæ?
26. An sufficienter probetur assertione Confessorij?

10 Quæritur 1. quinam eligere sibi Sepulturam possint? *ry.* regulariter possunt omnes, tam masculi, quàm fœminæ, etiam extra Parochiam suam, vel Sepulturam Majorum, modò locus, qui eligitur pro Sepultura, talis sit, qui jus Sepulturæ vel ex Jure communi, vel ex privilegio habet, & eligens sit pubes, mentis compos, & aliunde non prohibitus sepulturam sibi eligere. Ita *Gloss. in c. nos instituta 1. V. propriam h. tit. Sylv. V. sepultura q. 6. Molin. tr. 2. D. 214. n. 10. Pirh. hic n. 14. Wiest. ibid. n. 19.* & habetur *c. nos instituta cit. ibi, Nulli tamen negamus propriam eligere sepulturam, & etiam alienam.* Idem supponitur *c. is qui 3. eod. in 6.* Pro ratione reddi potest tritum illud, quo suprema Testatoris voluntas adimplenda dicitur *can. ul-*

*timâ 4. caus. 13. q. 2. l. non negare 5. ff. quem ad testam. aperiant. & l. habeat 1. c. de SS. Eccl.*

*Excipiuntur 1.* amentes, & mente capti ob defectum usûs rationis; nam Electio Sepulturæ est actus humanus, cujus incapaces sunt mente capti. *Excipiuntur 2.* impuberes; nam isti ob defectum ætatis, & judicij factis maturi eligere sibi Sepulturam nequeunt, sed eorum loco Sepulturam ipsis eligit pater, ubi consuetudo loci sic habet, vel si consuetudo talis non extet, sepeliendus is est in Sepultura Majorum, vel Parochiali *c. de uxore 7. h. tit. & c. licet 4. in princ. eod. in 6.* *Excipiuntur 3.* Religiosi; nam his, cùm velle, & nolle non habeant, potestas eligendi Sepulturam extra suum Monasterium non est, nisi ita remoti sint, ut ad id, cùm moriuntur, com-